INVICTO
SANCTO MARTYRI
JOANNI
NEPOMUCENO,
TRIDUUM

Ad ejus Opem implorandam pro quacunque necessitate.

D. GABRIELIS MARIÆ DE VALENZUELA

Clerici Regularis S. PAULI.

EIDEM SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
DICATUM.



ROMÆ, M. DCC. XXIX.

Typis Jo: Zempel, & Jo: de Mey prope Mon. Jor.

SUPERIORUM PERMISSU.

2

LECTORI
DEVOTO, ET BENEVOLO.


UÆ mihi devotio erga S: JOANNEM Nepomucenum ad evulgandum Italico, Hiſpanoque ſermone ejuſdem admirabilis vitæ compendium, conſilium dederat, eamet hodie breviſſimum hoc Tridui nomine inſcriptum exercitium ad excitandam fidelium pietatem, exarare, & exponere compellit, tanta enim beneficia brevi conſecutus ſum per ejuſdem invocationem, & obſequium,

ut grati animi argumenta erga tantum Patronum, ac Protectorem melius, ac ſatius oſtendere me non poſſe, ſim arbitratus, quam in eundem communem excitando pietatem, devotionem, & obſequium; quod ut feliciter obtingat.

Tria tibi ad hoc pium exercitium die 13. Maii quotannis inchoandum, utiliter, & cum fructu excolendum præmittenda præmoneo; Et primum, ut ipſa prima ſcilicet 13. Maii die (aliove tempore, quo neceſſitas urgeat) conſcientiam tuam ritè, ac diligenter expiare cures per Sacramentalem Confeſſionem, & Sanctiſſimam Communionem, ut

Deo, & Sancto Joanni gratior, & acceptior factus per gratiam tibi auctám, aut restitutam, promptior, & securior ad imploranda, & obtinenda beneficia, seu gratiam, quam es petiturus, accedas.

Secundum, ut beneficio, seu gratiæ temporali semper spiritualem præmittas, vel saltem annectas, ut facilius illam valeas impetrare, hanc enim Sancti impetrant frequentius, & libentius, & propter hanc etiam pro illa intercedere solent.

Tertium, ut si fortè æger, vel præpeditus fueris prædicto tempore, vel aliter impotens Triduum hoc exercere ante festum ejusdem, quod in diem 16. Maii incidit, illud

illud idem transferas ad aliud tempus tibi vacuum, & opportunius, dummodo quod differtur non auferatur, aut omittatur. Vel si devotio tua beneficiis ejus obstricta tanta fuerit, quod faxit Deus, ut Triduo non contenta ad novendiale illud extendere placuerit, meditationes, & pios sensus pro una die assignatos ad tres dies distribuere, & protrahere poteris, maturius, & paulatim legendo, & considerando, & præmissis consuetis actibus Adorationis, Fidei, Spei, & Charitatis, & invocationis Spiritus Sancti, Beatissimæ Virginis, & Sancti Joannis Nepomuceni, incipies ut sequitur.

TRI-

TRIDUUM
IN HONOREM
S. JOANNIS
NEPOMUCENI.
Prima Die.



MNES, & ſingulas virtutes, quæ Sanctis præcipuè Dei miniſtris, ac Sacerdotibus deſiderari poſſunt, inunum confluxiſſe JOANNEM nemo eſt, qui neſciat, ſi maximè ejus vitæ curſum vel leviter ſpectaverit, vel in Compendio noſtro perlegerit. Et quoniam ex virtutibus Theologicis, Fide ſcilicet, Spe, & Charitate ſanctitas potiſſimum ſpectatur, & dignoſcitur; Joannem noſtrum è tribus hiſce reſpectibus tamquam è tribus prætioſioribus, ac coruſcantibus gemmis reſplendentem contuendum, ac conſiderandum exhibeo.

De

De Fide S. JOANNIS Punctum Primum Mane.

PONE te ante conſpectum Divinæ Majeſtatis, & profundiſſime adorata Triade Sacroſancta, & Auguſtiſſima, invocatoque Deiparæ præſidio, Angeli tui Cuſtodis, ejuſdemque Sancti Martyris Joannis Nepomuceni, pacata mente, hæc animo infra expoſita revolves.

1. Intuere qualis, & quanta fuerit fides Joannis Noſtri, quam pura, quam accenſa, quam ardens, cum licet obſcura nobis in via, ei tamen ſemper Deum in acceſſum præſentem fecerit, adeo ut licet Viator nunquam ab ejus viſu, ac cogitatu deflexerit, ſemper coram Deo ambulaverit, & in caliginoſo licet loco lumen jugiter viderit in hoc lumine indeficiens; hinc admirabilis illa fortitudo, atque conſtantia, qua Deum ſibi non præſentem tantum, ſed & familiarem, & intimum ſibi ſpectans, non minas, non carcerem, non tormenta, non mortem timuit, & glorioſum Martyrium corde imperterrito inde ſuſtinuit, ne fidelitati Deo, ac Reginæ confitenti debitæ defice-

ceret,ne Regium ſecretum violaret aliquo modo, vel proderet, vel librum pluſquam ſeptem ſigillis clauſum aperiret, vel Sacroſanctum miniſterium ſibi commiſſum vituperaret. Perpende qualem fidem, ac fidelitatem tu habeas, quam impuram, frigidam, & ſub ſæculi curis propemodum extinctam. Quanta ſit in te à Dei obſequio, atque præſentia elongatio; qualis in ſervando ſolo ſecreto naturali inconſtantia, ſeu levitas, atque in prodendis amicorum conſiliis, & arcanis facilitas; defle nunc tantæ virtutis inopiam, atque defectus, utque præfata damna reſtaures in te, puriorem fidem, firmiorem fidelitatem per actus ejuſdem egregios tibi ſtatue, ac propone; Et quidquid merito puriſſimæ, & hæroicæ Fidei, ac Fidelitatis B. Joannis humilibus, ac fidelibus præcibus oraveris, te certe impetraturum eſſe crede, licet immeritus; ſi etenim verè, & firmiter credis, omnia poſſibilia ſunt credenti.



Punctum secundum Vespere.

2. PErpende excellentiam hujus virtutis, quæ tantum in Joanne abundavit, & in te forte deficit; per hanc etenim tot mirabilibus, dum inter vivos degeret, ostendit manifestè, non esse impossibile apud Deum omne verbum verè, & perfectè in eum credentibus; divitem esse usquequaque in omnes, qui firma, pura, ac ferventi fide invocant illum. Per eandem vicit Regna, operatus est justitiam, adeptus est æternas repromissiones, proprias dispersit opes pauperibus, regias munifica manu distribuit, curavit morbos, sanavit ægrotos, vitia fugavit, & Dęmones, nefarii Principis minas contempsit, & Mundum omnibus major adversis in perpetuam felicitatem victor commutavit. Ubi est nunc fides tua, atque fiducia, quam modica, quamque debilis in adversis, & in prosperis quam fortis, & secura? Invoca Patronum tuum, Advocatum tuum, ut fidem tantam, ac fiduciam tibi protinus imploret, ut terrenis omnibus calcatis Cælestia Regna vincere queas, justitiam ita recto tramite co-

colas, ut neque ad dextram, neque ad finiftram unquam declines; ita demum opera tua cum fide componas, ut firmiter credendo, & rectius in pofterum operando, in fupremo Spiritu conftitutus per merita, ac præces ipfius lætus idem tibi annunciare poffit: Fides operibus Sanctis conjuncta te falvum fecit. Amen.

Soliloquium.

AMantiffime Deus, gratias Tibi ago maximas pro eximia fide, ac fiducia, quam fervo tuo Joanni mifericorditer donafti, quarum ope tot mirabilia fecit in vita fua ad Tui Nominis gloriam, & animarum falutem; adjuva quæsò incredulitatem meam, auge Fidem, & fiduciam ob meritum Fidei, ac fiduciæ fuæ, ut perfectius in pofterum credendo, & operando Tibi verè in Fide defponfatus, fidelis coronam vitæ confequi merear. Amen.

ANTIPHONA.

ISte Sanctus pro lege Dei fui certavit ufque ad mortem, & á verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat fupra firmam petram (*Eccl: in Comm. Martyr.*) B 2 ℣ Glo-

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.

℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

OREMUS.

PRæſta quæſumus Omnipotens Deus, ut intercedente B. Joanne Nepomuceno Martyre Tuo, & á cunctis adverſitatibus liberemur in corpore, & á pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum &c.



SE-

SECUNDA DIE
DE SPE
Punctum primum
Mane.

POst Fidei excellentiam expende Spei eminentiam; quanta enim firmitate credidit, tanta certitudine summum bonum expectavit, ideo festinavit ingredi in illam requiem, quam sibi tam certe paratam viderat in lumine Fidei. Arduum itaque virtutis iter securus aggrediens, auxilio Dei fretus, quem nunquam sibi defuisse comperisset, contra Spem, in Spem credens, inter maxima discrimina semper Regiæ cupiditati, & Procerum indignationi fortissime restitit. Sciebat enim cui crederet, & in quo speraret, & Deum nunquam derelinquere Sanctos suos, qui nunc, & semper ac alte sperant in eo. Cogita nunc quanta in futurorum expectatione labores hebetudine, quantoque languore, quantus in sinistris eventibus timor, atque formido, qualis in arduis dubiisque rebus torpor, animique tui de-

dejectio te occupat. Et erige oculos ad Spem Servi Dei contra Spem ſperantis, & in preſenti diſcrimine magis fidentis, eumque præcare, ut merito, & exemplo Spei ſuæ doceat, te ſemper ſperare in Domino, & ſimul facere bonitatem, non in incerto divitiarum, aut potentiarum hominum, ſed in præce Sanctorum Spem tuam repone; ita demum firmet animum tuum, ut in adverſis fortem, atque fidentem, in proſperis humilem, ac in arduis ſtrenuum te reddendo in omni eventu, præſens in adverſo: illud Job. uſurpare poſſis (13. 15.) *Etiam ſi occideris me in te ſperabo, & ipſe eris Salvator meus.*

Punctum ſecundum Veſpere

SPei eminentiæ adde nunc, & conſidera perfectum, aſſiduumque exercitium Joanni familiare; intellexerat ſiquidem, non torpentibus atque otioſis, ſed exercitatis, ejuſque egregios actus frequentantibus divinam hanc prodeſſe virtutem. Spes ergo in corde Joannis ignis erat quidam Cœleſtis à Spiritu Sancto ſuccenſus, ſupremis flammis jugiter eum adurens, & ad beatitudinis æter-

æternæ ſpheram concito curſu anhelare illum & contendere cogens. O Deus bone quis impetum hujus flammæ ſurſum jugiter erumpentis brevi oratione perſtringat? quo & quanto conatu ad regionem ſuam ut evaderet, & centrum, ſeſe extollebat! Non minas hominum impiorum, non regium furorem, non bonorum jacturam, non mortem timuit, ſed contemptis omnibus, omnibuſque ſuperior in ſuperna victor evaſit Joannes, quia ſolum ei vivere Chriſtus erat & mori lucrum. Heu quam longè ab hoc igne, ejuſque ardore ſum ego, quam frigidus torpidusque, ubi ad altiora, ac ſuperna aſſurgere debeo, & quæ ad æterna bona conſequenda mihi opportuna ſunt, & neceſſaria ſtimulor apprehendere media! Utinam illo me igne Spiritus Sanctus inflammet, quo B. Joannis cor mirabiliter penetravit, ut eodem, meritis ejus, accenſus, Dęmonum fallaciis, Mundi obſtaculis, carniſque blanditiis fortiter, & ardenter ſuperatis & eluſis; ita in ardua tendam, & dura quæque complectar, & patiar, ut cum eo merear videre bona Domini, quæ per ſpem ſanctam expecto in terram viventium.



So-

Soliloquium.

DOmine Jesu Christe spes, & salus mea, benedictus sis semper propter eximiam spem, quam dedisti servo tuo Joanni, per quam excitasti in me spem vivam, atque ardentem erga bona invisibilia, quæ præparasti credentibus, sperantibus, ac diligentibus te ex toto corde, mente, ac viribus suis; rogo te, ut meritis ejus, ac intercessione tantum in corde meo concedas huius virtutis ardorem, ut spes mea de corde puro, & conscientia bona concepta semper ad meliora consurgat, adversa quæque, & difficilia superet, atque devincat, ut omnium hostium superatis insidiis ad eam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quamque spero meritis suis, perpetuam felicitatem aliquando perveniam Amen.

ANTIPHONA

DEsiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, & voluntati labiorum ejus non fraudasti eum.
℣. Posuisti Domine super Caput ejus.
℞. Coronam de lapide pretioso.
Oremus Presta &c. *pag. 6.*

TER-

TERTIA DIE
DE CHARITATE
Punctum primum Mane.

PErpensa fide, & spe, perpende modo charitatem S. Joannis, quam & si linguis hominum loquereris, & Angelorum, nunquam attingere, vel exprimere valeres: tanta fuit, & tam eximia. Quæ enim vel mens capere queat divini amoris incendium, quo cor ejus conflagravit; cujus lampades ignis fuerunt, atque flammarum, vel quæ ei comparetur, quæ veluti ignis è Cœlo missus super ægyptum in aqua, quæ omnia extinguit, magis exarsit; quamve aquæ tantæ tribulationum, persecutionis, Carcerum, ac tormentorum pro tuendo maximo omnium secreto non potuerunt extinguere, nec flumina tot penarum obruere? quam denique nec vitæ periculum, mors certa, nec fames, nec gladius, neque instantia, neque fortitudo regia potuit separare á charitate Jesu Christi; O mi Deus, quantum in conspectu ignis

tanti fervet erga te cor meum! Quomnodo non talibus, ac tantis flammis ignescit! heù quam nosco, quam sponte confiteor! nunquid in viridi ligno ignis charitatis accendetur? nunquid in corde sordido illecebris sensuum adhuc involuto flamma hæc accendi potest, quæ tantum de corde puro, & conscientia bona, & fide ac spe non ficta concipitur, atque nutritur? Eja ergo mi anime age, ut quam primum cor tuum emundes, atque expurges conscientiam ab operibus mortuis ut sordidum nihil, nihilque coinquinatum inveniens Spiritus Sanctus ad preces B. Joannis, ejus amantissimi in te veniat, & ignem sui amoris ardentem in te benignè accendat, & flammam æternæ charitatis. Amen

Punctum secundum Vespere.

POnderato cum Propheta pondere ignis, pondera nunc ejusdem effectus, & admirabiles ascensiones, quas tanto licet pondere dispofuit Deus in corde Joannis. Triplicem ascensionem S. Lauren. Justin. lib. de ligno vitæ (*c.* 11.) assignavit, qua est *de Deo libenter cogitare*, *libenter*

benter Deo dare, libenter pro Deo pati. Quis Joanne nostro melius, ac sanctius per hunc ignem obtinuit, & implevit? Appende illum in statera rationis, invenies non minus, sed magis semper habuisse, & excrevisse in immensum pondus, & incendium inextinguibile; quis enim libentius Joanne de Deo cogitavit, pro Deo dedit, & passus est, cujus conversatio in Cœlis magis, quam in terris fuit, qui suos, regiosque Thesauros non dedit solum, sed dispersit pauperibus, qui vitam ipsam, & sanguinem constanter profundens, non nisi per ignem, & aquam transiens educi voluit in refrigerium, & semitas suas in aquis multis invenit, quibus ad Cœlum ascenderet? Proh Dolor? Si in statera justa cogitationes meas, verba, & opera appendo, quam parum, & minus de hoc ignis pondere me habere comperio, quam rarò de Deo cogito, ac in Deum feror, pondere peccatorum, ac sollecitudinum Mundi pressus, quid pro amore Dei dedi, quid feci, vel passus sum? Qui usque ad delicias, & luxum commodo meo studeo, & consolationes exquiro, & afflictationes vel leves fugio, mihique contraria ægre, vel impatienter fero? Ego vir videns paupertatem meam ad te confugio Domine, ut per amoris tui ardorem, quem in B. Joannis præcordiis accèndere dignatus es, ignem amoris

tui in corde meo ſuccedas talem, ac tantum, ut deinceps ſemper de Te cogitare, pro Te dare, & in Tui obſequium omnia pati, ac compati valeam, nulloque tribulationum pondere à ſuſcepto propoſito deflectem; & ſolus amor tui ſit in poſterum pondus meum. Amen.

Soliloquium.

O' Domine Jeſu-Chriſte, qui ignem illum, quem veniſti mittere in terram, accendere tam vehementer voluiſti in corde B. Joannis, quando Spiritus Sancti flamma viſcera mea, renesque comburet, & purgabit, ut tibi caſto corpore ſerviam, & mundo, ac inflammato corde complaceam? Eja amor meus, onus, & pondus meum ſuaviſſimum, fac ut amore, ac meritis ejus, qui te ad mortem uſque dilexit, & fortior ipſa morte, & jam in aquis vehementibus in tuo amore exarſit, nec magna flumina potuere tantum ignem extinguere, aut pondus tantum demergere, aut obruere; fac inquam, ut amore tuo impulſus fortiter, ſuaviterque te diligam, adverſa quæque probe ſuperando, patienter, ac placide perferendo, ad Tui nominis gloriam, & animæ meæ ſalutem. Amen.

ORA-

ORATIO.

Clementissime Deus, qui diligentibus te, facis cuncta prodesse: da cordi meo eximium ac ardentem amorem, quo te Joannes dilexit inviolabilem, ac ardentem tuæ Charitatis affectum: ut desideria hoc Triduo de tua inspiratione, ac ejus intercessione concepta nulla possint tentatione mutari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Credo, spero, amo, & adoro Te Deus meus super omnia, & ideo doleo de peccatis meis, ac plus dolere, & confiteri desidero; doleo super omnia, quod Te tam ingratus, & infidus offenderim Deus meus, & omnia, & malo millies mori, & in infernum detrudi, quam ultra Te offendere. In gratiarum actionem pro omnibus, & singulis beneficiis, & remissionem peccatorum post merita Domini mei Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ offero Tibi merita amantissimi Tui Joannis, quem Sanctorum Fastis adscribi fecisti, ut ejusdem exempla imitando assequar & gloriam; & suppliciter exoro majestatem tuam, ut Ecclesiam Sanctam, ejusque Ordines omnes in Sancta semper Religione conserves, ac serenissimum electum Imperatorem nostrum Carolum una cum

cum Orbe toto,qui tanta ſollicitudine novam gloriam Joanni Patrono ſuo curavit, ſuſpirata jam diù prole conſolari, ac exaudire digneris, meque minimum tui clientem incolumem ſervare, ut una tecum in gloria congaudere merear. Amen.

ANTIPHONA.

HIc eſt vere Martyr, qui pro Chriſti nomine Sanguinem ſuum fudit, qui minas judicum non timuit,nec terrenæ dignitatis gloriam quęſivit ſed ad Cęleſtia regna pervenit.

℣. Juſtum deduxit Dominus &c.

℟. Et oſtendit &c.

Oremus. Pręſta quęſumus &c. *pag. 6.*

FINIS.